

**LESSUS
BEATIS MANIBUS
THEOLOGI SUMMI
THOMÆ ITTIGII
SACER,
ATQUE ERATRI EJUS SUPERSTITI MOESTISSIMO
MAGNIFICO DN.
GODOFREDO NICO-
LAO ITTIGIO
DICATUS.**

HALÆ MAGDEBURGICÆ, LITTERIS SAFFELDIANIS.



VIR MAGNIFICE,

Patrone Magne!

IT TIGI S A M O H T

SACER
I

Icet miserum omnino hoc sit consolandi genus, quod apud adfictos ab adfictis adhuc soleri solet; propterea quod ipsi aliorum indigere solatio videntur: meum tamen, quod breviter per literas offerre conabor, aquibonique confulturum Te, plane confido. Merore sane ac tristitia incredibili sum affectus, qvum Fratrem Tuum, ô beatissimum! cum morte commutasse vitam intelligerem, eandemque ad me quoque pertinere calamitatem sum arbitratus. IT TIGI S enim, ô venerandum Nomen! quem pie semper, cum Lipsiae degarem, admirari solitus sum; quem omni affectu animi, & supra, quam dici potest, observavi; cuius consilium, fidem, benevolentiam felicissimo successu probata semper cognovi, iam extinctus conticuit... O infelicissimum rerum nostrarum statum! ô tristem & lacrymabilem casum! ô acerbum Ecclesiae, Academiae, & literariorum Reip. vulnus! Lugent Templia, lugent Cathedra, lugent boni cives, lugent celeberrima ITTIGIORUM FAMILIA, lugebunt Angli exterique Boni omnes præmatura tanti Viri fata. O irreparabilem tot maximarum rerum jacturam! ô acerbissimum nobis Tuum, MAGNE ITTIGI, obitum! Sed quorsum abripior? non querela, qua Lipsia abundat; non laude, qua undique Beatus circumfulsus est; sed solatio, quo erigenda Familia pariter & Ecclesia venit, opus est. Tuæ quidem, MAGNE PATRONE, hoc in luctu prudentiæ minime diffido, quasi tam graviter Fratris Tui ferendam esse mortem censeras, ut nulla fere consolatio locum invenire poscit; verum quod ita rem se plerumque habere sciam, ut rebus nostris nimio, aut gaudio aut dolore præpediti, quid sit statuendum, non videamus; sequentia Tibi subjicienda duxi. Fratris causa doles? At mentis oculorumque ad ea, quæ nunc fiunt & geruntur, aciem converte: bene cum illis actum esse fateberis, qui miseriis hisce ac vere

ac vere conclamatis temporibus ex hac vita placide migrarunt, & quasi
fugā cervicibus nostris undique imminentes calamitates declinarunt.
Quanta animarum cura, quanto laborum cumulo cumulatum quotidie
aspiciebas Fratrem Tuum? Num Beatissimi morbos acerbissimos, num
dolores vehementissimos, num calamitates alias ignoras? His autem ad-
versis rebus ereptum nunc bonisque exoptatisimis & aeternis ornatum,
quis non crederet? Fuit, fuit ille dolor, qui per annos adhuc gravissi-
mus duravit; exaruit morborum scaturigo, tempestatum furores conti-
cuere. Eruditionis causa doles? Dolent & erudit, quod cum ITTIGIO
summa Historiarum Ecclesiasticarum eruditio, incomparabile ingenii acu-
men, perdocta differendi subtilitas, & provida disponendi solertia, si non
mortua plane, dispersa tamen jaceat. Sed quis veræ eruditionis usus,
si universus eruditorum orbis fructus ejus contemplari quidem non au-
tem publice colligere potest? Abundat Lipsia jam permultis eruditio-
nis ITTIGII testibus; abundasset quoque diutius, nisi tantus Vir dolorum
acerbitate impeditus orbi etiam eruditio hac jaætura dolorem injecisset.
Quid ergo summa nobis Historiarum Ecclesiasticarum eruditio profuisset,
si non Scriptis communicare publice eam potuisset? Habemus de illa
paginas, sed exoptandum Volumen. Quid incomparabile ingenii acu-
men, si neque in Cathedra Ecclesiastica neque Academica illud communi-
care cum aliis valuisset? Quid perdocta differendi subtilitas, si publice
tacere dolor continuus injunxit? Quid denique accurata disponendi so-
lertia, si in Ecclesia verba facere non licuisset? Illa enim vera est erudi-
tio, qua nobis non solum sed & aliis inservire possumus. Fidem, amo-
rem, animum doles? Nec accusandus propterea nec vituperandus es,
Josephum enim fide, Jonathanem amore, Paulum animo insignem ami-
cisti. Quis respondebit deinceps Fratri querenti? quis erigit moerentein?
quis infirmum amat? quis senescem solabitur? Horret animus &
sibimet ipsi se subtrahit quasi, cum in memoriam Tibi revocat Fratris obi-
tum. Quantum vero meritor, quantum sollicitudinis hoc Tuum Tibi
injecit damnum; tantum etiam divini solitii illud Tibi afferit. Quemad-
modum enim Amici conjunctissimi per loca disita dispersi variis casibus,
vel suscepito itinere separati quidem vivunt; fide tamen, amore animoque
mutuo, absentes etiam se prosequuntur, & de his bene sperare audent,
si videre aliquando rursum absentes liceat: ita & illi quoque fidem, amo-
rem animumque Fratris, licet: eis vita abeuntis, adhuc sentiunt, ac depre-
hendunt, qui inter mortales superstites vitam degunt. Certo igitur per-
syalum Tibi habeas, sanctissimos manes, vel ut pie magis dicam, beatissi-
simam Fratris animam fide, amore, animoque longe perfectiori Tibi para-
ratam esse deditamque; quum eo delata sit, ubi nec dubias rerum vices,
nec imperfectam rerum conditionem metuens, tranquillum & aeternum
seculum vivit. Ecclesiae causa doles? Nec immerito justum dolorem
sensis cum laborante Ecclesia. Atlas Lipsiensis Ecclesia destructus jacet,
destruxta quoque illius foecunditas, qua sua felicitate nec metuere quidem
nec sentire finebat mala. Nunc cederunt Ecclesia fulcra, filuerunt di-
vina ex Beato ore promanantia oracula, extincta prorsus sunt singularia
patientiae indicia. Illustrissima ipsius fuit eruditio in Ecclesia; qua qvium
orbata fit, acerbe lacrymatur. Exemplo alii & documento fuit docen-
dum & vitae ejus ratio, ut B. defunctus judicaret, aut non docendum, aut
moribus

moribus docendum esse; hac etiam deleta, Christi populus ingemiscit.
Per ampla fuit, quæ singulis eum commendabat gratia & venustas; hac
vero amissa, boni omnes exclamant: ô Virum non modo superiorem
nostro Seculo, sed & multis veterum præferendum! Sed licet pauciores
inveniantur, qui Ittigi nostri famam fultinere queant, quod omnes boni
pronunciare minime verebuntur; nemo tamen tam iniquus erit tempo-
rum nostrorum æstimator, ut premere velit Doctorum viventium glo-
riam, ut potius sua sponte fateatur, esse adhuc per Dei gratiam, qui Ec-
clesiam indies præclare illustrant & ornant. Age igitur de novo vulnere
inœsta Ecclesia age, caput erige & confide. Deus enim rerum tuarum
curam agit solicitam. Suscipe nova electione constitendum filiarum tua-
rum Patrem, ipsumque debitum precibus püsque votis, & submissa obe-
dientia cole: Sic non habebis amplius, cur doleas. Tu ergo, quem ere-
prum Tibi doles, MAGNE PATRONE? Christianum Te esse cogita; cu-
jus est præmissum, non amissum, Fratrem lugere. Veniant Tibi in men-
tem ea, quæ alii simili in Lucki præcipere es solitus; ita enim pieras,
animi magnitudo, sapientia, mæroris Tui medicina erit quam felicissima.
Scriberem hanc in sententiam plura, nisi verendum, ne de Tua dubitare
prudentia viderer. Quamobrem gratulabor Tibi nunc; quod tales ac
tantum Fratrem calamitosa adhuc concesserint tempora; gratulabor Ec-
clesiæ, quod fidelissimo Patre; gratulabor Academia, quod Doctore
dexterissimo; gratulabor universo eruditorum orbi, quod eruditionis ora-
culo, in vivis dum esset, fructi fuerunt omnes, & adhuc fruuntur. Vivit
enim Nomen MAGNI ITTIGII non minus in florentissima Vestra Famili-
lia, quam in nobilissimo bonorum & eruditorum omnium consortio.
Vivat etiam apud posteros, floreat in Republ. literaria, quo omnes, qui
ITTIGII Nomen profitentur, de tanto Viro gratulari sibi invicem pos-
fint. Gratulabor & mihi, quamdiu memorie insculptum perennabit
Nomen B. ITTIGII; perennabit autem, quadavixero. Gratulabor
mihi, quamdiu cum secundis rebus Familiam Vestram simul accrescen-
tem videbo. Hæc ficuti à summo rerum Arbitro larga manu distribuun-
tur: Ita ab eodem exoptanda sunt & exspectanda. Vale, Dabam Halæ
XVIII. Calend. Maji A. C. M. DCC. X.

EXCELLENTISSIMI NOMINIS TUI
VIR MAGNIFICE

Cultor observantisimus

M. CHRISTIANUS AUGUSTUS ROTTH.



LESSUS
BEATIS MANIBUS
THEOLOGI SUMMI
THOMÆ ITTIGII
SACER,
ATQUE ERATRI EJUS SUPERSTITI MOESTISSIMO
MAGNIFICO DN.
GODOFREDO NICOLAO ITTIGIO
DICATUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, LITTERIS Salfeldianis,

Festfeste

